

centenario delle Pandette e del Codice di Giustiniano, Studi pubblicati dalla Facoltà di Giurisprudenza della R. Università di Pavia 295 sq.). Quibus non assentior. Aliter enim iudico de indole Institutionum atque illi viri doctissimi. Hunc librum non puto ab auctore diligentissime excogitatum et ad unguem elimatum fuisse. Erant commentarii scholastici (σχολικὰ ὑπομνήματα Athen. III p. 83<sup>b</sup>) in usum discipulorum conscripti, quales depingit Galenus in prooemio *περὶ ἰδ. βιβλ.* (ed. Basil. IV p. 361; XIX p. 10 ed. Kühn), cuius verba quaedam apponere libet: *τοῖς εἰρημένοις* (scil. tironibus) *γεγραμμένα πρόδηλον δήπου μήτε τὸ τέλειον τῆς διδασκαλίας ἔχειν μήτε τὸ διηκριβωμένον· ὡς ἂν οὔτε δεομένων αὐτῶν οὔτε δυναμένων ἀκριβῶς μανθάνειν πάντα πρὶν ἔξιν τινὰ σχεῖν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις.* Cf. Lehrs, *De Aristarchi studiis Homericis*, ed. 3 p. 22 sq. Tales libros etiam nunc magis divulgari quam eos, qui studiis hominum doctorum destinati doctrina, acumine, d'igentia excellunt, quis est, qui nesciat? Sed quamvis longe ab illorum hominum doctissimorum sententia secedam, tamen ut desiderio lectorum satisfacerem, plerumque suspensiones criticorum adnotavi, non semper. Ratione enim habita bibliopolae nimiam mutationem editionis stereotypae propter impensas ingentes abnuentis elegi eas coniecturas, quae mihi consideratione et examine digniores videbantur.

Erlangae 1934.

**B. Kübler.**

### AD EDITIONEM OCTAVAM

In hac editione octava quaedam addita, quaedam emendata sunt. E manibus eam dimittens idem sentio, quod Phil. Ed. Huschke, cum Gaium ederet quintum (infra pag. XXXII). Institutiones Gai sunt antiquissimum tirocinium iurisprudentiae, quod habemus et quo melius non novi. Scriptum est secundo post Chr. n. saeculo, non vicesimo. Quod non considerant critici vel, ut verbo Solazzii utar, iconoclastae, quorum ab impetibus ut Gaium tuerer curae semper mihi habui.

Erlangae mense Nov. a. 1938.

**B. Kübler.**